

altaris in manibus nostris resignari fecerunt et disposuerunt nobisque per eundem supplicarunt, ut huiusmodi resignacionem, translacionem et donacionem prefati iurispatronatus admissis sepedictis magistris nacionis Polonorum collegii pretacti illud ascribere et appropriare dignaremur. Nos igitur attendentes huiusmodi supplicacionem fore iustam et eidem non esse denegandum assensum, recepta dicta resignacione, prefatas translacionem et donacionem ratas et gratas habentes, dictum iuspatronatus memoratis magistris omni iuri et proprietatis titulo perpetuo ascribimus, annectimur et appropriamus, ita quod cedente vel decedente supradicto magistro Iohanne Freyberg, ydem magistri venerabilem virum magistrum Casparem Weygel cancellarium et canonicum dicte Wratislaviensis ecclesie et eo de medio sublato iuvenem scolarem abilem et ydoneum Slezicam, sive baccalarium, sive magistrum, qui studio per triennium institit, ad illud altare quod tunc et quociens vacare contigerit loci ordinario presentare debeant et teneantur, qui sic presentatus in dicta universitate stare et studere per integrum triennium sit astrictus, et nichilominus de consensu et voluntate honorabilis viri domini Francisci Czegenbeyn dicte ecclesie parochialis in Sweydnitz rectoris moderni nobis evidenti dogmate declarato, prenarratum altare et eius pro tempore ministrum a missis ad requisicionem plebani cantandis confessionibus audiendis et alias interessencia personali, quibus idem minister tenebatur astrictus, absolvimus, dedimus ac damus penitus in suum exemptum, salvis eiusdem altaris consuetis officiis, quibus per omnia gaudere debeat et nullatenus defraudari. Premissis itaque omnibus et singulis auctoritatem nostram ordinariam interponimus pariter et decretum et ea ex certa nostra sciencia confirmamus ac desuper presentes nostras litteras fieri fecimus administracionem sigilli subappensione communiri. Actum et datum Wratislavia decima sexta die mensis iulii, anno domini millesimo quadringentesimo quadragesimo quinto, presentibus ibidem venerabili et honorabilibus viris et dominis, magistro Andrea Wayner canonico ecclesie collegiate Legnicensis, Iohanne Czirler, Paulo Currafico vicariis et Stanislao Calli de Olomutz, succustode ecclesie Wratislaviensis supra memorate, testibus ad premissa vocatis pariter et rogatis.

54.

Bischof Conrad von Breslau bewilligt die Abtretung des Juspatronatus bei dem Andreas-, Katharinen- und Cäzilienaltare der Parochialkirche zu Schweidnitz an die Collegiaten des Frauenkollegs.
Breslau, 1445 Juli 16.

Hdschr.: Or. Perg. Archiv des Frauenkollegs II, d, 11 mit beschädigtem bischöflichen Siegel an Fäden von rother und grüner Seidenschmur.

Wortlaut wie No. 53.